

liberationes dictis administratoribus minime suffragantur.

7. *Loca pia auctoritate episcopi non erecta, episcopi jurisdictioni non subsunt.* — Verum præter limitationes in textibus positas, limitatur conclusio insuper in hospitalibus, et aliis locis piis militarium ordinum, et aliorum religiosorum, ut bene notavit Fagnanus, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 47, patetque tum ex jure communi Clem. *Quia contingit*. § *Præmissa*. h. t. tum ex concilio Tridentino, loc. cit. utpote quod ibidem solum de sæcularibus, non de regularibus loquitur, prout declaravit sacra Congregatio apud eundem Fagnanum, loc. cit. n. 48.

8. *Potest tamen ab eorum administratoribus rationem exigere.* — Quæritur IV. Quid juris competat episcopo in loca pia auctoritate episcopi non erecta, consequenter non religiosa? Resp. I. Hæc loca pia non sunt subjecta episcopo, consequenter hic jurisdictionem in ea non habet. Fagnanus, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 51. et ibi Hostiensis, Innocentius, Joan. Andreas, Abbas, cum communi. Probat a sensu contrario, cum enim per jura citata solummodo illa loca pia sint subjecta episcopo, quæ sunt religiosa, id est, auctoritate episcopi erecta, a sensu contrario bene inferre licet; ergo illa, quæ non sunt religiosa, episcopo subjecta non erunt. Hinc similia loca pia, v. g. hospitalia, confraternitates, aut alia pia instituta auctoritate episcopi non erecta, nequit episcopus visitare, nisi in casibus a jure expressis; prout declaravit sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. n. 54. possuntque a Fundatore, quandiu vivit, pro libitu mutari, et ad alias etiam profanas causas applicari, Abbas, in cit. c. *Ad hæc*. 4, h. t. n. 4. et ibi Fagnanus, n. 53. ubi pro hoc citat declarationem cardinalium, arg. c. *Cum dilectus*. 8.

Quæ tamen mutandi potestas non competit hæredibus, eo quod pia defuncti voluntas ab hæredibus non possit mutari, juxta dicta in titulo *de Testament.*

9. *Quomodo episcopus mutare possit pias causas?* — Resp. II. Quamvis præfata loca pia non subsunt jurisdictioni episcopi, nihilominus potest hic post mortem fundatoris inquirere, videre, et visitare, an juxta piam fundatorum intentionem et voluntatem deputata bona debite applicentur, et administrantur, Fagnanus, loc. cit. n. 55 et 56. Abbas, in c. 10, h. t. n. 3. cum communi. Ratio est: « quod in omnibus piis voluntatibus

sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant, » ut dicitur c. *Tua nobis*. 17. *de Testament.* et declaravit sæpe sacra Congregatio apud dictum Fagnanum, loc. cit. n. 56. Potest insuper ab administratore quovis cujusvis loci pii, etiam non religiosi, singulis annis exigere rationem administrationis, concil. Trident. sess. 22. *de Reform.* cap. ix. per textum supra n. 6. citatum, qui universaliter omnino intelligi debet, adeo, ut licet episcopus non nisi in casibus a jure concessis possit visitare loca pia non religiosa; possit tamen universaliter ab horum locorum administratoribus exigere rationem administrationis, et videre, num cuncta bene administrantur, et juxta piam fundatorum intentionem applicentur; prout sacra declaravit Congregat. apud Fagnanum, loc. cit. n. 57.

10. *Monasterium sæcularizari ab episcopo non potest.* — Quæritur V. Utrum episcopus vi jurisdictionis suæ possit religiosa aut saltem pia loca, foundationes, et instituta ad certum pium usum erecta, vel deputata, in alium usum pium transferre? Resp. Ordinarie loquendo, negative, per jura, et rationes allegatas tit. XXV, *de Testam.* a. n. 804, ubi etiam limitationes quædam inveniuntur. Quibus etiam adde limitationem, quam ponit concilium Tridentinum, sess. 25. *de Reform.* cap. viii. illis verbis: « Quod si hospitalia (vel alia loca pia), ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucae reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior est, ac pro loco, et tempore utilior, convertantur; prout ordinario cum duobus de capitulo, qui rerum usuperiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuerit, observari curet episcopus, aut si id non possit ipse, prout supra, utiliter provideat. »

11. *De ædificandis monasteriis. Remissive.* — Porro circa monasteria illud specialiter statuerunt jura, si aliquando ex quacunque causa deficiant, aut discedere debeant religiosi, aut minus regularis disciplina ibi vigeat, episcopus nec redditus monasterii, suæ mensuræ incorporare, nec monasterium

sæcularizare, seu in illo clericos sæculares ponere, aut in alias pias causas convertere potest, sed debet monasterium hujusmodi aliis religiosis ejusdem ordinis vel inhabitandum, vel reformandum tradi: vel in horum defectu, religiosis alterius religionis committi: utrisque autem deficientibus clericis sæculares ibidem collocari possunt, qui quoad fieri potest, foundationi priori satisfacere satagant. Fagnanus, in c. *Inter quatuor*. 5. h. t. ibi Joan. Andreas, Abbas, Hostiensis, Engel, h. t. in fine. et alii, per textum et Glossam, cit. c. *Inter quatuor*. 5. h. t. c. *Possessiones, de Rebus Eccles. non alienand.* cum concordantiis.

Plura de potestate episcoporum circa loca religiosa et pia vide apud Fagnanum, in c. 3 et 4, h. t. item apud Barbosam, allegat. 75. per totum.

12. Solet hic etiam agi de erectione seu ædificatione monasteriorum. Verum quia hanc materiam jam supra promissimus ad titulum *de Ecclesiis ædificandis*, hic superse-demus. (ADNOTATIONES XIX et XX.)

TITULUS XXXVII.

De capellis monachorum, et aliorum religiosorum.

1. *Ratio ordinis. Capellæ monachorum, quid?* — Postquam in superioribus actum est de regularibus, et domibus eorum, ordine non incongruo pergitur ad capellas eorundem. Et quamvis capellæ nomine in jure varia veniant, v. g. subinde altare, aliquando oratorium, nonnunquam sacra ædificula a templo sejuncta, vel templo annexa, vel inexistens; uti bene advertit Azorius, p. 2. lib. III, cap. viii, q. 2. Aliquando denique quævis ecclesia etiam parochialis per se, et seorsim existens, dummodo non sit collegiata, ut ex Gonzal. refert Barbosa in Rubr. h. t. Tamen ad propositum per capellam potissimum intelligitur ecclesia curata, præsertim parochialis, unita et incorporata monasterio, vel ecclesiæ regulari. Circa quam multa examinanda non veniunt, eo quod potissima jam dicta sint titulo *de Præbend.*, titulo *de Offic. vicarii*, titulo *Ut beneficia Eccles. sine diminut. confer.* Hinc breviter:

2. *Incorporatio duplex; una quoad temporalia; alia pleno jure.* — Quæritur I. Cui

competat jus præficiendi Rectorem in ecclesiis monasterio incorporatis? et qualis præfici debeat? Ante responsonem notandum, beneficia curata dupliciter posse uniri, seu incorporari monasterio, videlicet, vel quoad temporalia tantum, vel pleno jure. Primo modo censentur unita, quando decimæ, alique redditus temporales assignati sunt alicui monasterio, « jure instituendi » penes episcopum, « jure præsentandi » penes abbatem, vel alium superiorem regularem remanente, de quo modo habetur mentio can. *Sane*. 6. can. 16. q. 2. quod si pars tantum Decimarum Monasterio competat absque « jure instituendi, » vel etiam « præsentandi; » tunc potius dismembratio beneficii, quam unio, seu incorporatio censebitur, uti post Garciam, *de Benefic.* p. 12, c. ii. n. 4. bene observat Engel, h. t. n. 10.

Secundo modo, seu pleno jure censebitur beneficium unitum, vel incorporatum, quando præter jus percipiendi redditus temporales, etiam administratio spiritualium, seu cura animarum in monasterium est translatum H. N.

3. *In beneficiis quoad temporalia tantum incorporatis, abbas præsentat, et episcopus instituit.* — Resp. I. In parochia, vel alio beneficio quoad temporalia tantum unito, seu incorporato monasteriis, abbas, vel alius superior monasterii solummodo præsentare, non idem instituere potest beneficiatum, parochum v. g. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 72, n. 188; Engel, loc. cit. n. 10, arg. c. *de Monachis*, 12. c. *In Lateranensi*. 31, *de Præbend.*, ibi: « In Ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent, ut eis de plebis cura respondeant. Ipsi vero (religiosis) pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos autem, inconsultis episcopis, non audeant removere. » Idem repetit c. *In Ecclesiis*. 1. h. t. Concordat can. *Sane*. 6. cau. 16. q. 2.

4. *In pleno jure autem incorporatis abbas utrumque habet.* — Resp. II. In ecclesiis pleno jure monasterio incorporatis rectorem, seu beneficiatum solus monasterii superior præficere, ac instituere potest. Barbosa, loc. cit. n. 188; Chokier. *de Jurisdict. et exempt.* p. 4, q. 40; Engel, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 2. et alii, arg. can. *Visis*. 1, cau. 16, q. 2. Clem. un. § *Quidam præte rea.* et § *Quidam etiam, de Excessib. prælat. et c. Quoniam*. 21. *de Privileg.* Nec obstat

c. i. h. t. ubi in similibus beneficiis episcopus capellanum, et quidem sæcularem instituit. Respondetur enim id correctum esse jure recentiori citato, prout prætermisissis aliorum ad dictum c. i. responsionibus bene respondeat Pirhing, h. t. n. 2. Cui accedit recepta praxis et consuetudo, « quæ est optima legum interpret. » L. 37. ff. de Legib.

5. In parochia quoad temporalia tantum incorporata, debet constitui vicarius perpetuus. — Resp. III. In parochia monasterio quoad temporalia tantum incorporata, ubi solum jus præsentandi, et non instituendi superiori regulari competit, debet constitui rector, vel vicarius perpetuus. Barbosa, de Offic. et potest. episc. alleg. 72. n. 189. arg. cit. c. in Lateranensi. 31. de Præbend. et c. In Ecclesiis. 1. h. t. juncto c. un. h. t. in 6, ibi: « Cum debeant esse perpetui, consuetudine, vel statuto quovis non obstante, ab eisdem nequeunt ecclesiis (nisi per episcopos, et ex rationabili causa) amoveri. » Ratio est, quia quævis ecclesia parochialis debet habere unum rectorem perpetuum, juxta dicta tit. de Paroch. n. 7. ex concilio Tridentino, sess. 24. de Reform. cap. XII. qui cum quoad curam non sit abbas monasterii in beneficio plene non incorporato, alius esse debet.

6. Et quidem sæcularis. Beneficia sæcularia sæcularibus, et regularia regularibus sunt conferenda. — Num autem ad tale beneficium pleno jure non incorporatum (id est, ubi religiosi precise juspatronatus absque redditibus habent, prout in pluribus habent teste experientia, observat Glossa) clericus sæcularis præsentari debeat, vel etiam religiosus præsentari possit? grandis est controversia apud doctores, quæ ex eo dependet, an regularis ad beneficium sæculares promoveri valeat? Ratio controvertendi, et negativa tenendi sumitur ex illa recepta regula, « quod beneficia regularia regularibus, sæcularia vero sæcularibus sint conferenda. » c. Cum de beneficio. 5. de Præbend. in 6. et Clem. 1. de Supplend. neglig. prælat.; Engel, nihilominus h. t. n. 8; Less. lib. II, cap. XIV, dub. 12, n. 99, et alii putant, etiam in tali, et universaliter in quovis casu regulares ad beneficium curatum (non item simplex) præsentari et assumi posse, imo præsentatos institui debere, quod multis probare conantur. Quibus non obstantibus,

7. Resp. IV. In præfato casu et universa-

liter ad quævis beneficia sæcularia curata, parochias nempe, soli sæculares præsentari, assumi possunt, et debent, ita ut nec episcopus dispensare possit, excepto casu necessitatis, ubi sæculares clerici commode haberi nequeunt. Garcias, de Benefic. p. 7, c. x, n. 20; Felinus, in c. In nostra de Rescript.; Rebuffus, de Pacific. possess.; Covarruvias, in c. 2. de Testam. n. 3. et alii. Fundamentum præcipuum est, quod ita sæpius fuerit declaratum a sacra Congregatione, referente se ad concordata in concilio Lateranensi cum Leone. Uti videre est apud Garciam, loc. cit. alias probationes non adducimus, quia materia hæc ad titulum de Præbend. spectat, ubi etiam, n. 26. docuimus « quod beneficia sæcularia sæcularibus et regularia regularibus sint conferenda. »

8. In ecclesiis pleno jure incorporatis monasterio, solus superior deputat vicarium pro libitu amovibilem. — Resp. V. In ecclesiis curatis incorporatis pleno jure monasterio pertinet provisio rectoris ad solum superiorem monasterii, potestque is vicarium etiam temporalem, et ad nutum amovibilem sive regularem, sive sæcularem constituere. Barbosa, de Offic. et potest. episc. alleg. 72, n. 189. Engel, h. t. n. 11. arg. Clem. 1. et ibi Glossa 7. Ad mensam. de Excess. prælat. ibi: « Licet administratores ejusmodi libere possint ad claustrum (cum oportuerit) revocari. » Ratio communiter assignatur illa, quia in hujusmodi beneficiis non fit propria institutio, sed potius provisio aliqua administratoria; cum titulus semper penes monasterium remaneat, et propterea nunquam proprie vacare censeatur. Accedit recepta consuetudo et praxis, qua videmus, quod superiores regulares in parochiis monasterio pleno jure incorporatis, vicarios et rectores pro libitu constituent et amoveant. Notandum tamen, quod quamvis pro libitu, et absque præscitu episcopi amovere valeant prius deputatum, tamen aliquem in hujusmodi beneficio constituere nequeant, nisi prius ab episcopo fuerit approbatus, textu expresso concilii Tridentini, sess. 25. de Reform. cap. XI. ibi: « Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem (episcopi) consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus vicarium faciendo. »

9. Regularis de jure solus non potest esse in parochia. — Resp. VI. Loquendo de jure communi, si in beneficiis monasterio unitis

constituitur vicarius, persona regularis, non potest ibi solus esse, sed debet cum sociis commorari: textus expressus habetur c. 2. de Statu monach. ibi: « Nec singuli per parochiales ecclesias ponantur, sed cum aliquibus fratribus maneat. » Ratio ibidem subjungitur, « ne soli inter sæculares homines, spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente: *Væ soli, quia cum ceciderit; non est qui sublevet eum.* » Concordat c. Ex parte. 3. h. t. Et quidem juxta constitutionem Pii V. quæ incipit: *Ad exequendam*, debent esse saltem quatuor religiosi in parochia. Verum unum sufficere socium, viva voce declaravit Gregorius XIII, ut ex Guarant. in Summa Bullar. 7. Vicarius perpetuus, refert Pirhing, h. t. n. 11. imo consuetudine introduci potest, ut unus solus sit in parochia, arg. c. fin. de Consuetud. prout actu in aliquibus locis introductum videmus.

10. Jurisdictio episcopi in regulares, existentes in parochia. — Quæritur II. An, et qualem jurisdictionem habeat episcopus in regulares existentes in parochiis monasterio incorporatis? Resp. Regulares hujusmodi etiam ad nutum amovibiles in præfatis parochiis constitui, curam animarum exercentes, « subsunt immediate in iis, quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni episcopi, in cujus diœcesi sunt sitæ, » ita in terminis concilium Tridentinum, sess. 25. de Regular. cap. XI. Pariter subsunt in iis, quæ dependent a cura, et sacramentorum administratione: unde, an libri baptismales, matrimoniales, mortuorum, etc. bene sint ordinati, an sanctissimum debite conservetur, an calices, vel alia vasa, et Ecclesiæ ornamenta pro decenti administratione sacramentorum adsint, etc. visitare, inquirere, atque in casu erroris corrigere et punire potest episcopus reum regularem, Barbosa, in dict. Concil. Trident. n. 15. et amplius alleg. 74. n. 18 et 20. ubi plures alios citat. Id ipsum novissime statuit Gregorius XIII. in sua constitutione, quæ incipit: *Inscrutabili*. In reliquis tamen defectibus et delictis exempli regularis ita expositi visitatio et correctio non ad episcopum, sed superiorem regularem pertinet. Barbosa, in Concil. Trident. loc. cit., 21; Riccius, in Resolut., 513, n. 2, et resolut. 632. Tenentur insuper tales regulares ad solvendum episcopo cathedraticum per dicenda infra tit. de Censibus.

11. Congrua portio debet assignari vicario perpetuo. — Quæritur III. Quid juris de congrua portione assignanda vicariis ecclesiarum monasterio (vel etiam collegio, capitulo, universitati, etc.) incorporatorum? a quo nempe, qualis, quanta, et de quibus redditibus constitui, et assignari debeat? Resp. I. Certum est, quod de redditibus, fructibus, emolumentis, et proventibus ecclesiæ incorporatæ debeat vicario perpetuo assignari congrua portio, et quidem tanta, ut honestam sustentationem vicarii, considerata circumstantia personæ ejusdem, ecclesiæ redditibus, ac loci consuetudine taxandam, simulque ad hospitalitatem erga pauperes, juraque episcopalia solvenda sufficiat, prout etiam diximus, lib. I, tit. XXVIII, § 2, n. 37. Ita clare patet ex concilio Tridentino, sess. 6, de Reform., cap. II, item sess. 7, cap. V. et VII, etc. de Monachis. 12. de Præbend. ubi Pontifex ita mandat archiepiscopo Vigoriensi: « Ad præsentationem monachorum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus ecclesiæ coram te fuerit assignatum, unde jura episcopalia possit persolvere, et congruam sustentationem habere. » Concordat c. Extirpandæ. 30. eod. et c. i. eod. in 6. ubi etiam contraria reprobat consuetudo.

12. Et quidem per episcopum. — Resp. II. Certum est ulterius, quod ad iudicium et arbitrium solius episcopi pertineat, quænam quantitas reddituum, et proventuum ecclesiæ pro congrua sustentatione vicarii sufficiat. Omnes, citatis juribus, nam cit. c. 12. de Præbend. expresse habetur, « nisi per te (episcopum) fuerit assignatum, » et concil. Trident. cit., sess. 7. de Reform., cap. VII, Arbitrio Ordinariorum portione assignanda. Contra quam non datur appellatio suspensiva (bene tamen devolutiva) uti bene advertit Pignatell. tom. I, consult. 127, quia cum hic agatur de alimentis et venter non patiatur dilationem, appellatio suspensiva locum non habet, Bart. in l. Mela. n. 5, ff. de Aliment. et lib. leg.

13. In congruam portionem juxta aliquos non possunt computari incerta, seu fructus stolæ. — His tanquam certis suppositis grandis est controversia, de quibus assignari debeat portio congrua, an nempe de solis redditibus et fructibus certis fieri debeat, an vero etiam de emolumentis et proventibus incertis assignari queat, ita ut etiam fructus stolæ (ut vocant) v. g. emolumenta, et obven-